



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus XXVII. De Clerico Excommunicato, Deposito, vel Interdicto ministrante.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

Mariam aut Sanctos Dei, si moniti non respiciant, pro qualitate personæ, gravitate maledicentiæ, aliarumque circumstantiarum, vel in corpore, puta, fustigatione, linguæ sectione vel amputatione &c. vel in bonis pro conditione personæ & aliis circumstantiis puniri jubentur, Harum tamen Constitutionum Imperialium rigorem in defectu abesse, testatur passim invalescens usus blasphemiarum: quem, etsi Clarus §. *Blasphemia* n. 3. non malè in Religionis & Justitiæ defectum refundat: in Bavaria tamen nostra blasphemi pro varietate circumstantiarum variè, pecuniariâ vel corporali pœnâ pleetendi, iudicis arbitrio permittuntur *Posteque Ordnung Lib. 5. tit. 7. art. 1.* & si blasphemiam enormes sint, reos amputatione linguæ & capitis pleeti posse, superiorum annorum exempla docuerunt, teste *cit.* Haunoldo n. 153.

¶ Dubium est de iudice criminis Blasphemiam. Et quidem, si ista hæreticalis, hoc est, conjuncta cum expressâ hæ-

reticis sit: & istius reus conveniat, cognitionem ad iudicem Ecclesiasticum pertinere, exploratum est ex *Tit. 7. n. 26.* & tradunt Barbofa *de Offic. Episc. alleg. 51. n. 93.* & Farinac. *q. cit. n. 39.* Si verò hæreticalis non sit, Mixti fori est crimen, Panormit. *in c. fin. n. 4.* Marthæ *de Jurisdic. p. 2. cap. 13. n. 11.* Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 32. n. 37.* & alii, id defuentes ex *c. fin. cit.* verbis, *Per Episcopum pena subdatur & per temporalem potestatem &c. mulctetur;* ut proinde, sicut in cæteris Mixti fori, sic etiam in blasphemiam non hæreticalis crimine adversus reum laicum locus sit præventioni: sic tamen; ut punitio iudicis non impediatur, quò minus, si ab Ecclesiastico committitur minor pœna infligatur sit, Secularis ad condignam eum valeat condemnare: & si iste pecuniariam vel corporalem, Ecclesiasticus saltem spiritualem infligere possit, per ea, quæ multis relatis *cit.* Barbofa n. 95. & Farinac. *cit. n. 39.* docent.



## TITULUS XXVII.

### De Clerico Excommunicato, Deposito, vel Interdicto Ministrante.

#### SUMMARIUM.

1. Clerici Censurati, Ordinum alius exercecentes, deponuntur,
2. Privantur beneficiis Ecclesiasticis,
3. Et contrahunt irregularitatem:
4. Cui non solum suspensi, depositi vel interdicti,
5. Sed majori etiam excommunicationis ligati obnoxii sunt.
6. Eam tamen non contrahunt, si solos jurisdictionis,
7. Vel etiam Ordinis, sed huic non proprios alius exercent.
8. Secun-



8. Secundum aliquos etiam, si Sacramentaliter absolvant:
9. A quibus irregularitatem incurri, verius est.
10. Eam non contrahunt censurati, exercecentes actus Ordinis minoris:
11. Nisi hos exercent modò, vi solius Ordinis permisso.
12. Ab irregularitate excusat censura ignorantia,
13. Sacramenti conferendi & scandalis evitandi necessitas:
14. Imò etiam dubium de censura contrahit:
15. Nisi id crassum sit ac supinum.
16. Eam actus Ordinum exercendo etiam contrahunt censurati non vitandi.
17. Non etiam ligati excommunicatione minoris,
18. Jure remoti à Sacramenti usu passivo, non ab activo:
19. Qui ipsis licitus aut venialiter tantum est peccaminosus.

3. Clericis ferè propria sunt delicta, quæ sacrorum Ordinum temerariâ susceptione & usu committuntur: & imprimis quidem ab irretitis aliquâ Ecclesiasticâ censurâ: quâ insuper habitâ, & Ecclesiasticâ potestate contemptâ, si sacris ministeriis se ingerere, & actum Ordinis proprium exercere, præsumant, triplicem poenam incurrun.

2. Prima est Depositio ab officio & beneficio Ecclesiastico, per sententiam infligenda excommunicatis & personaliter interdictis, si, actus Ordinum exercere moniti non desistant, *c. Clerici 3.* imò etiam monitione non præmissâ, ut ex *e. Latores 4.* desumunt Glossa in *c. Clerici cit. V. Montis, Panormit. in c. cit. n. 2.* & Pürhing ad hanc Rubr. n. 1. & 7.

Unde hi DD. eos, qui moniti respue- rint, *c. Clerici cit.* non deponi iustos, ajunt, indulgè ipsi gratiâ dispensationis.

Secunda, Privatio omnium beneficiorum, *c. Fraternitati 6.* quæ à presbyteris & clericis aliis excommunicatis ipsò Jure & temerariè SS. Ordinum exercitii factò amitti, ex *c. cit. V. Spoliare,* sententiæ Jure latæ executionem demotante, Tiraquell. in l. Si unquam 8. C. de Revocand. donat. V. Revertatur, n. 167. desumit Barbosa in *c. cit. n. 3.* Ratio autem privationis est; quia, cum tales ipsò jure & factò contrahant irregularitatem, ab officio per SS. Ordinum exercitium obeundo impediendem, beneficiis, id respicientibus, jure optimè privantur, *arg. c. fin. de Rescript. in 6. Vivianus in e. Fraternitati cit.*

Tertia est Irregularitas: quam, ut insinuat, ipsò factò contrahunt censurati, actum proprium Ordinis, saltem majoris, quem habent, exercere temerè præsumentes: ut constat de suspensio, & multò magis de deposito ab Ordine vel officio ex *c. Apostolica 9. c. 1. §. fin. de Sent. & re jud. in 6. & c. 1. §. fin. de Sent. excommunicat. in 6.* Suarez de Censur. disp. 26. §. 1. n. 5. de interdicto personaliter, ex *c. Is cui 20.* & de non interdicto, si in loco interdicto ejusmodi actus exercere præsumat, ex *c. Is qui 18. §. fin. de Sent. excommunicat. in 6.* Barbosa *cc. cit. n. 7.* de excommunicatione majore irretitò, ex *can. Si quis Episcopus 6. & can. seq. 11. q. 3. & c. fin. hic* quò textu dum deciditur diu inter DD. controversa quæstio, an etiam minori excommunicatione ligatus celebrandò irregularis evadat, clarè supponitur irregularitatem contrahi ab eo, qui id facere præsumit in majori; quia aliàs nulla fuisset ratio dubitandi de minori. Unde argumentum ductum ex *c. fin. cit.* non tam à con-



trario, quò irregularitatem non rectè inferri, patet ex *e. Is qui cit.* quàm à cessante ratione dubitandi est; ut rectè notat Gonzalez in *e. Latores cit. n. 3.* Id ipsum evincit ratio; quia majori excommunicatione irretitus clericus pro toto tempore, quò in ea perfluit, suspensus est à propriis Ordinibus, scilicet administratione Sacramentorum & celebratione Divinorum Officiorum: suspensus autem celebrare præsumens irregularis evadit, §§. *fin. cit.* Suarez *disp. 11. f. 3. n. 3.*

6. Dixi tamen, irregularitatem à censuratis contrahi, si primò exercent actum *Ordinis*: ut sunt celebratio Missæ, collatio Sacramenti Ordinis vel Confirmationis, administratio extremæ Unctionis; quia censurà irretitus, licet graviter peccet, irregularitatem non contrahit, exercendò præcisè actum jurisdictionis: ut sunt dispensatio in votis, juramentis, conjugii impedimentis &c. sententiæ censurarum & absolutio ab iis, quando hoc fit sine stola, psalmis aliisque ceremoniis: imò etiam assistentia matrimonii; quia etiam hæc non est actus Ordinis: imò nec jurisdictionis: sed solummodo testis qualificati, juxta dicta *Lib. 4. Tit. 3. n. 53.* uti & prædicatio verbi Divini; quia etiam ipsa actus Ordinis non est, *Zæsius ad hanc Rubr. n. 21.* Irregularitatem tamen contrahit sacerdos sponis impertiendo solemnem benedictionem; quia actus est Ordinis Sacerdotalis, *e. 1. & c. Vir autem 3. de Secundis Nupt.* Suarez *cit. f. 3. n. 18. & 19.*

7. Secundò, si exercent actum *Ordinis proprium*, quales præter relatos sunt collatio Baptismi cum solennitate, cantatio Evangelii cum stola, Epistola cum manipulo & similes, qui à solis ordinatis & vi Ordinis exercentur, Navarrus *Manual. cap. 27. n. 244.* Non etiam

cantatio Epistolæ vel Evangelii sine stola & manipulo, collatio Baptismi privata & sine solennitate; quia hi actus exerceri etiam à non ordinatis possunt, & quandoque solent, Navarrus *l. cit.* & Sylvester *V. Irregularitas, q. 13. d. 1. & 4.*

Dubium est de sacerdote excommunicato, suspenso &c. sacramentaliter absolvente. Non quidem, si toleratus & non vitandus sit; cum enim iste à fidelibus requisitus Sacramentum Pœnitentiæ validè administret, sicut celebrandò, solenniter baptizandò, sic etiam sacramentaliter absolvendò non fiet irregularis. Sed, si vitandus seu non toleratus sit; de hoc enim dubitandi ratio est; quòd ejus, utpote jurisdictione privati, absolutio sit nulla; ac proinde verè & in effectu non ministret, sed ministrare solum attendet in excommunicatione. Unde irregularitas ab eo non contrahi videtur, cum; quia non præstat impedimentum, quod de Jure non fortitur effectum, Regula est *52. in 6.* tum verò; quia ad eam contrahendam, cum aliud Jure expressum non est, exiguntur actus in sua specie consummati ac perfecti, ut patet ex homicidio & mutilatione, quæ solum attentans non contrahit irregularitatem, Suarez *de Censur. disp. 44. f. 4. n. 13.*

Sed, etiam à censurato sic absolvente irregularitatem incurri, cum hoc Doctore *disp. 11. f. 3. n. 14.* rectè docet Palao *Tract. 29. disp. 2. p. 8. n. 12.* & Zæsius *ad hanc Rubr. n. 14.* Ratio est; quia talis actus Ordinis Sacerdotalis proprium, quantum in se est, exercet; cum habeat Ordinem & idem faciat, quod alius, qui ritè dispositum pœnitentem invalide absolvit, & qui alterum rebaptizat: à quibus irregularitatem contrahi, communis sensus est DD.

Neque contrarium persuadet ratio dubitandi partim; quia etiam talis absolutio for-



lutio sortitur effectum, non quidem liberationis à peccatis, sed attentationis & exercitii Ordinis, instar actus rebaptizantis: quod licet non verus, sed attentatus solum Baptismus sit, irregularitatem incurri, liquet ex *can. Confirmandum 59. dist. 50. can. Afros 3. dist. 98. c. Ex literarum 2. de Apostat. Sc.* partim verò; quia ejusmodi absolutio in ratione exercitii actus Ordinis sub irregularitate prohibiti perfecta est & consummata, Suarez *cit. f. 3. n. 15.*

10. Tertio, ad hanc irregularitatem contrahendam Navarrus *cit. n. 244.* & alii præsertim T.T. & ex Canonistis Covarruvias in *c. Alma p. 1. §. 6. n. 9. V. De emò.* exigunt; ut clericus censuratus exerceat actum alicujus Ordinis majoris; rationem reddunt; quòd minorum Ordinum functiones hodie non sint actus proprii Ordinis clericalis; cum ad eas obeundas ex consuetudine recepta passim laici admittantur ac deputentur.

11. Sed, licet hoc ita sit, verisimilius tamen clericus censurà aliquà irretitus irregularitatem etiam contraheret, si minorum Ordinum actus solenniter & quasi ex officio proprio, hoc est, eò modo, quò ab ordinatis tantum solet, exerceat, ut in *c. Si quis 2. cum Hostiensis §. Sed quidquid.* Joan. Andr. *n. 2.* & Panormit. *n. 4.* docent Barbosa *n. 3.* & Fagnanus *n. 7.* id desumentes partim ex præfenti Rubrica, quæ est *De clerico excommunicato Sc. ministrante: ex c. Si quis eit.* de presbytero vel alio clerico generaliter & sine discrimine inter majorem ac minorem, vel hujus exceptione: & ex *c. 1. §. fin. Sc. Is cui 20. cit.* Censurà irretitos, *Si ingesserint se divinis, agentes in suo officio,* non minus generaliter & nullà inter majorum & minorum Ordinum actus factà distinctione irregulares pronuntiantibus; Jura autem gene-

raliter & indistinctè, sicut loquuntur, sunt accipienda, *c. Quia circa 22. de Privileg.* partim ex *Constitutione Sixti V.* quæ incipit *Santum,* contra clericos malè ac Simoniacè promotos edità Non. Jan. 1588. quæ, etiam primà confusè ac minorum Ordinum clericos ab exercitio Ordinum ita susceptorum suspensos, declaravit & *Si in eis ministrare præsumserint, sic irregulares effectos omnibus officiis & beneficiis privatis:* quibus verbis aperte supponitur, à censurato, etiam minorum Ordinum actus, saltem eò modo, quò ab ordinatis tantum solet, exercente, irregularitatem incurri.

12. Quarto ad eam contrahendam requiritur; ut alicujus Ordinis actus proprius exerceatur Temerè; quia irregularitas ista Jure lata est in pœnam culpæ gravis & cum temeritate conjunctæ: ut perspicuis omnino verbis tradunt Concilium Antiochenum, *Si ausi fuerint de ministerio sacro contingere, can. Si quis Episcopus 6. cit.* Alexander III. *Quòd postquam interdicti vel excommunicati fuerint, Divina præsumserint officia celebrare, c. Latores cit.* Innocentius IV. *Si damnabiliter se ingesserint divinis, c. 1. §. fin. de Sent. Sc. re jud. in 6.* & Bonifacius VIII. *Si contra interdictum hujusmodi divinis se ingerat, in suo agens officio, c. Is cui 20. cit.* Unde ab irregularitate immunes sunt Imprimis, qui censurà aliquà se irretitos invincibiliter ignorant, *c. Apostolica 9. ibi, Vos reddit ignorantia probabilis excusatos.* Ratio est; quia irregularitas hæc, ut jam dictum, pœnalis est; cum oriatur ex delicto, quod clericus censuram & potestatem Ecclesiasticam contemnendò & insuper habità ipsius prohibitionem, in Ordine ministrandò committit, *can. Sc. cit.* delictum autem & contemptum scientiam vel culpabilem ignorantiam præsupponit, Suarez *cit.*



rez *cit. disp. 11. f. 3. n. 5.* & Gonzalez in  
 23. *c. Apostolica cit. n. 15.* Dein, qui ejus-  
 modi actum exercet, exigente extremâ  
 necessitate, v.g. sacerdos excommunicatus  
 absolvens hominem moribundum, alte-  
 rius, censurâ non innodati presbyteri co-  
 piam non habentem; quia in articulo  
 mortis constitutum à peccatis & censuris  
 quibuscumque absolvendi potestatem cui-  
 vis sacerdoti competere, constat ex Tri-  
 dentini *Sess. 14. cap. 7.* Pirrhing *ad hanc*  
 24. *Rubr. n. 42.* Demum censuratus, ejus-  
 modi actus exercens ad evitandum grave  
 scandalum aut infamiam securam ex  
 eorum omissione, secum trahente ma-  
 nifestationem occulti delicti sacerdotis,  
 ab iis se abstinens, Pirrhing *cit. n. 42.*  
 quia lex Ecclesiastica non obligat casu,  
 quò ejus observantia cum ta n gravi in-  
 commodo est conjuncta.

25. Dubium ulterius est primò, de du-  
 bitante, an sit excommunicatus. Quem  
 in Ordine ministrantem, si, excommuni-  
 catum non fuisse, postea constat, ab ir-  
 regularitate plerique absolvunt. Con-  
 trà hanc, si reipsâ excommunicatus sit,  
 ab eo contrahi, cum Sylvestro *V. Irre-*  
*gularitas, n. 15. d. 5.* & Ugolino *de Cen-*  
*sur. Tab. 1. cap. 14. n. 12. in fine,* non  
 pauci desumunt ex *c. Illud 5.* quò textu  
 Episcopus in dubio de sua excommunica-  
 tione divinis se ingerens à pœna Canoni-  
 ca per misericordiam liberatur, non ob-  
 scurò indicio, pœnam hanc ab eo fuisse  
 contractam. Verùm textus ille cum  
 dubio quidem celebrantis factum impro-  
 bat, & tutiorem viam tenendâ fuisse; pro-  
 nuntiat: non tamen meminit ullius pœ-  
 nâ, propterea contractæ vel inflictæ; ea  
 enim, cujus facit mentionem, spectat  
 ad præsumptionem, divina sibi celebrari  
 facientis post notitiam excommunicatio-  
 nis in se latæ à Papa. Deinde; quia et-  
 iam hoc faciendò Episcopus, cum actum

Ordinis ipse non exercuerit, sed exer-  
 centi solummodo adlitterit, irregularita-  
 tem non contraxit: sed pœnam, quam  
 Canon minatur & per sententiam infli-  
 gendam; ac proinde non irregularita-  
 tem, sed depositionem, ut idem *n. 6.*  
 vel suspensionem, ut vult, Palao *disp.*  
 2. *cit. p. 9. n. 9.* Unde ex *c. cit.* legitime  
 non inferitur, ab ullo aut saltem ab  
 eo, qui stante dubio de sua excommuni-  
 catione ministrat, contrahi irregularita-  
 tem; quia hanc non ab homine per sen-  
 tentiam, sed à Jure infligi, & extra ca-  
 sus istò expressos non incurri, patet ex  
*c. Is cui cit.* & cum Navarro *cit. cap. 27.*  
 n. 94. Covarruvia in *Clement. Si furiosus*  
 pr. *n. 3.* tradit *cit.* Suarez *disp. 40. f. 4.*  
 n. 8. Quare, de sua excommunicatione  
 dubius, irregularitatem verisimilius non  
 incurrit celebrandò extra casum, quò  
 hoc facere præsumit, non adhibita debi-  
 tà diligentia ad rei veritatem cognoscen-  
 dam; hanc enim omittens habet igno-  
 rantiam crassam & supinam, quæ non re-  
 levat; cum scientiæ æquiparetur, *c. 1.*  
*de Constit. in 6.* Zæsius *ad hanc Rubr. n. 9.*

Dubium secundò est, an Ordinum 16.  
 actus exercendo irregulares etiam fiant  
 excommunicati tolerati, seu non vitan-  
 di. Ratio dubitandi oritur ex *Extravag.*  
 Martini V. editâ in Concilio Constans-  
 tiensi, quæ incipit *Ad evitanda.* Verùm  
 Constitutio ista, fidelibus communicatio-  
 nem cum quibusdam excommunicatis  
 permittendò, timoratis tantùm conscientis  
 & innocentibus consulere intendit:  
 ipsi autem excommunicatis nollum fa-  
 vorem contulit. Unde, sicut ante, sic  
 etiam post eam editam excommunicati  
 ministrantes contrahunt irregularitatem;  
 quia Jura, quibus hæc irrogata est, gene-  
 raliter de excommunicatis & c. loquuntur,  
 Covarruvia in *c. Alma p. 1. §. 2. n. 11.*  
 & *cit.* Zæsius *n. 6.*

Dubium



17. Dubium tertio est de ligato excommunicatione minori. A quo divinorum celebratione irregularitatem non contrahi, decisio est Gregorii IX. *c. fin.* cuius Papæ de ea sensum difficilem reddit ratio; quia, sicut majori, sic & minori excommunicatione ligatus divina celebrandò graviter peccat & censuram Ecclesiasticam violandò Clavium potestatem apertè contemnit; quæ vel unica vel præcipua ratio fuit in censurarum violatores Jure constitutæ irregularitatis. Rationi huic non leve pondus inde accedit; quòd minor excommunicatio contrahatur communicatione cum ligato excommunicatione majori: quæ, cum lethalis culpæ reatum contineat, *c. Sacris s. de iis, que vi metusve causa*, inducet suspensionem saltem quoad se, *can. Sacerdotes 91. in fine 1. q. 1. & c. fin. de Cohabit. cleric.* cuius per actum Ordinis violatione irregularitatem contrahi, exploratum est ex dictis.

Sed vera firmæque decisio Gregoriana, ejusque gemina ratio est. Una; quia irregularitas non contrahitur, præterquam in casibus Jure expressis, *c. Is qui 20. pr. in 6.* divinorum autem celebratione ab eo, qui minori excommunicatione ligatus est, eam incurrit, ullò Jure expressum non est. Altera; quia eadem non contrahitur exercitiò cujusvis actûs sacri prohibiti per censuram, sed solius actûs Ordinis, vi centuræ graviter interdicti: minori autem excommunicatione ligato hujus censuræ vi, non Ordinum exercitium, sed sola Sacramenti susceptio

18. graviter est interdicta. Unde hujusmodi minori censurâ ligatus dici nequit suspensus; quia suspensio ex sua vi, non passivi, sed activi tantum, nec Sacramentorum tantum, sed aliarum quoque spiritualium functionum usus privationem inducit, per tradita à *cit. Suarez disp. 25. s. 1. n. 4.*

Neque ita firmam decisionem Apostolicam convellit; quòd minori excommunicatione ligatus celebrandò graviter peccet; quia esto, hoc ita sit, irregularitatem tamen non fundat, cum; quia irregularitas non quòvis, sed eò tantum peccatò incurritur, cui ea imposta est à Jure: cujus textu aliquò dicta celebratio irregularitati subiecta non reperitur: tum verò; quia ita celebrans graviter peccat, non quatenus exercet actum Ordinis, sed quatenus censurâ illâ insuper habitâ percipit Sacramentum, perinde ferè, ut hoc percipiendò laicus peccat.

19. Quin divinorum celebrationem, quatenus Ordinis Sacerdotalis actus sive exercitium est, & cum Sacramenti perceptione non conjunctam administrationem seu collationem habet, non solum à lethali, sed à veniali quoque culpa omnino absolvunt Navarrus *Manual. cap. 27. n. 24.* Ugolinus *de Censur. tab. 3. cap. 6. §. 2.* Henriquez *Lib. 13. cap. 3. §. 1. cit. Suarez disp. 24. s. 2. n. 12.* & Bonacina *disp. 2. de Excommunicat. q. 3. n. 4.* quòd, minori excommunicatione ligatus, ipsò *c. fin. cit. non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum remotus.* Ne autem huic Opinioni adversentur ejusdem *c. Verba, Peccat autem conferendò Ecclesiastica Sacramenta*, ea exaudiunt de celebrante, qui Sacramenta hæc simul confert & participat suscipiendò. Non minus verisimiliter alii in celebratione, quatenus activa & à Sacramentorû perceptione absoluta est, culpam quidem aliquam, sed venialem tantum agnoscunt, non; quòd ab iis minori excommunicatione ligati Ecclesiasticò: sed Naturali tamen Jure removeantur, eò ipso; quòd Sacramentorû perceptio eis sit interdicta; cum utique, licet non gravis, aliqua tamen indecentia sit, Sacramenta conferri ab eo, cui eorum perceptio est interdicta. Ex

N n 3                      qua cau-



qua causa dictionem, *Graviter*, quam *c. fin. cit. pr.* expresse rat, *V. Peccat autem*, à Papa ideo omiffa aiunt; quòd Sacramenti collatio non, ut perceptio lethalem, sed venialem tantum contineat culpam. Ita

cum Anchorano in *c. cit.* & Hostienfi *78 Summa, n. 2.* Sotus in *4. diff. 22. q. 2. art. 3.* Covarruvias in *c. Alma p. 1. §. 8. n. 2.* Palao *Tract. 29. disp. 2. p. 21. n. 10.* & Barbosa in *c. fin. cit. n. 6.*



## TITVLVS XXVIII.

### De Clerico non Ordinato Ministrante.

#### SUMMARIUM.

1. In Ordine non suscepto ministrans incurrit excommunicationem,
  2. Suspensionem ad tempus ab Ordine proximè suscepto,
  3. Et irregularitatem, obstantem susceptioni Ordinum superiorum:
  4. Si tamen ministrans istius sit capax,
  5. Et actum Ordinis proprium temerè ac ferid,
  6. Etiam sine intentione internà exerceat.
  7. Eadem à Clerico, primà solum tonsura initiato, contrahitur, Minoris:
  8. A Sacerdote Episcopalis,
  9. Et probabiliter à laico, cuiuscunque Ordinis actum exercente:
  10. Qui tamen verisimiliùs irregularitatem non incurrit.
  11. In irregularitate, temerariò Ordinum usu contrahit, Papae dispensat.
- I. Circa Ordinum usum clerici etiam & graviter delinquent, actum Ordinis, quem non habent, exercendò, vg. Diaconus Missam

celebrandò, baptizandò solenniter, vel sic aquam aut nuptias benedicendò: quod temerè praesumentes triplicem poenam incurrun.

Prima est Excommunicatio, *c. 1.* Eam tamen non ipsò iure & factò incurri, sed per sententiam à iudice infligendam, *ex V. Abjiciatur*, ministerium hominis exigente, colligit Suarez *de Censur. disp. 42. §. 4. n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 3.* Secunda, Suspendio ab exercitio Ordinis proximè suscepti, ad biennium vel triennium infligenda Diacono, qui Missam celebrare &c. praesumpfit, *c. fin. Proximè*, inquam, *suscepti*: non, ut aliqui volunt etiam aliorum Ordinum inferiorum; quia *c. cit.* poenalis & odiosa dispositio ab expresso ad non expressos Ordines porrigenda non est, *arg. Reg. Quidam 15. in 6. cit.* Suarez *n. 4.* & Pirrhing *n. 3.* Tertia & praecipua est Irregularitas, vi cuius saltem ad superiores Ordines nequeunt promoveri, ut colligitur *ex c. cit.* Verbis, *Nunquam ordinetur*, inducentibus irregularitatem saltem partialem, obstantem nondum obtentorum Ordinum susceptioni: non etiam inferiorum ritè obtentorum exercitio; cum in Ordine non suscepto, vg. diaco-